

per quam immutata ea, quae sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. *Consuetudine jus* est, quod aut leviter a natura tractum aluit et majus fecit usus, ut religionem; aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit: quod genus, pactum, par, iudicatum. *Pactum* est, quod inter aliquos convenit; *par*, quod in omnes aequabile est; *iudicatum*, de quo alicujus, aut aliquorum jam sententiis constitutum est. *Lege jus* est, quod in eo scripto, quod populo expositum est, ut observet, continetur. *Fortitudo* est considerata periculorum susceptio, et laborum perpressio. Eius partes, magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. *Magnificentia* est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio atque administratio; *fidentia* est, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocavit; *patientia* est honestatis, aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpressio; *perseverantia* est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. *Temperantia* est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma et moderata dominatio. Eius partes sunt, continentia, clementia, modestia. *Continentia* est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur; *clementia*, per quam animi temere, in odium alicujus concitati, invecio comitate retinetur; *modestia*, per quam pudor honestus caram et stabilem comparat auctoritatem. Atque haec omnia propter se solum, ut nihil adjungatur emolumenti, petenda sunt. Quod ut demonstretur, neque ad hoc nostrum institutum pertinet, a et brevitate praecipendi remotum est. Propter se autem vitanda sunt, non ea modo, quae his contraria sunt, ut fortitudini ignavia, et justitiae injustitia: verum etiam illa, quae propinqua videntur et finitima esse, absunt autem longissime. Quod genus: fidentiae contrarium est diffidentia, et ea re vitium est: audacia non contrarium, sed appositum est ac propinquum, et tamen vitium est. Sic unicuique